

Valahfridus (Wilfried Stroh)

## Iaponica Baldeana

Kal. Octobribus A.D. 1629, cum Clara Isabella filiola Leopoldi V. archiducis Austriae Oeniponti baptizaretur, Iacobus Balde SJ tum in Gymnasio rhetoricae magister comoediam sub titulo *Iocus serius*<sup>1</sup> cum suis discipulis egit. Quae una eaque continua actione siue simplici argumento carebat; erat enim ex octo diuersis fabellis contexta, quibus id solum commune erat quod in una quaque iocus aliquo modo in serium conuertebatur. Velut in ultima parte, quae maxime ad illius diei religionem pertinebat, Genesisus histrio, qui tempore Diocletiani in scaena Romana uigebat, ioculariter Christianum agit, per lusum etiam baptizari se sinit, tum autem ex illa simulatione religionis ad ueram fidem commutatur, martyrium denique pati paratus est.

Quae Baldei *comicotragoedia*, ut ipse appellat, tam iucunde ac iocose scripta est, tam adulescentium animis accommodata, ut nunc quoque a iuuentute in gymnasiis facile agi posse uideatur. Id tamen inique accidit quod pars quaedam dramatis – sunt autem in primo actu scaena tertia et quarta, quae in Iaponia locum habent<sup>2</sup> – tota periit, nisi quod supersunt sunt duae periochae, quibus argumentum totius fabulae et Latine et Germanice adumbratur.<sup>3</sup> Ergo res neque ineptissima uidetur hanc lacunam explere nec parum pia, ut puto. Nam si Volfangi Mozart discipulus quidam magistri *Requiem* illam imperfectam ad finem perduxit, si Iacobi Puccini illam *Turandot* parum absolutam sic aliquis suppleuit ut nunc tota tamquam integra audiri possit, cur mihi uetitum censeam Iacobi nostri *Iocum serium* non morte immatura, sed casu infelici truncatum ad suos numeros restituere.

Quod tamen quominus temptarem pudor quidam aut uerecundia tanto ingenio debita me tenuisset, nisi ipse Iacobus Balde, nec mentior, in somniis mihi uisus id facere iussisset. Quem ego, mene potius quam alios doctiores hoc officio dignum putaret, cum timide interrogarem, „A noli nimium tibi tribuere“, respondit ille more suo subridens, „non tu quidem doctior aut aptior huic operi, di melius, sed arrogantior et certe audacior. Est ubi praestat Clodium habere socium quam Tullium.“ Manus igitur dedi, non immemor Friderico Henrico nostro natalem sollemniter agenti aliquod munus si non Sericum, at certe orientale deberi. Accipe igitur, collega optime, Musae meae Baldeanae fetus Iaponicos, et tamen maxime Christianos.

Ac primum quidem tibi periochas explicabo, quas, cum inter se non ad amussim congruant, non religiosissime, sed tamen mediocri fide ita secutus sum, ut e Baldeani leporis fonte aliquantulum in aridos meos hortos deriuare conarer.

---

<sup>1</sup> Fusius de illa egi in: „Vom Kasperletheater zum Märtyrerdrama: Jacobus Baldes Innsbrucker Schulkomödie *Iocus serius* (1629“, in: Reinhold F. Gleis / Robert Seidel (edd.), *Das lateinische Drama der Frühen Neuzeit. Exemplarische Einsichten in Praxis und Theorie*, Tubingae 2008, 255-285. Textum e codice manuscripto Vindobonensi (Cod. Pal. Vind. 13303) una cum periochis typo impressis (non accuratissime) transcripsit Jean-Marie Valentin: „Jakob Baldes *Iocus serius theatralis* (1629“, *Euphorion* 66, 1972, 412-436 (ubi etiam plura de hoc dramate inuenies).

<sup>2</sup> Inde ab anno 1549, quo primum Franciscus Xauerius SI Iaponiam intrauit, ibi Christiana fides a Iesuitis propagata est. Quae in scaenis Iesuitarum non semel tractabantur; cf. Adrian Hsia / Ruprecht Wimmer (Hg.): *Mission und Theater: Japan und China auf den Bühnen der Gesellschaft Jesu*, Regensburg 2005, praesertim 17 sqq., 259 sqq. Fere sescenta dramata huc pertinere dicuntur.

<sup>3</sup> Latina adiuncta est codici Vindobonensi (ut adn. 1), quem ipse uidi; Germanica in Bibliotheca publica Monacensi (P.o.germ. 228,27).

### Scaena III.

Mimicam Hecaten malè<sup>4</sup> acceptam irrident extentis vnguibus sorores inferæ.<sup>5</sup> Sed omnes Signo SS. Crucis fugantur à LVDOVICO Neophyto<sup>6</sup> Iapone, qui patrios Deos Sacam & Amydam<sup>7</sup> execratus, Fratri suo IOSEPHO etiam recens ad fidem Christianam conuerso Libellum ostendit concessum sibi à patre Europæo; ex quo intelligere queat, quanta vis Sanctæ Crucis, quam vero nulla sit Iaponensium seu Deorum seu dædemonum [*lege: dæmonum*], cùm in eodem libello legatur vnus alioqui sagacissimus<sup>8</sup> cuidam fabro pœnas dedisse, libidinosi naribus forcipe, tanquam Flammeo<sup>9</sup>, emunctis.

### Scaena IV.

BONZIVS<sup>10</sup> indignatur Deos suos sperni. Ludouicum adortus sesquimendacia<sup>11</sup> fingit in Christianos; vidisse se primùm<sup>12</sup> aliquem ex eorum numero ab irruente Dæmone torqueri: Cuius falso obsessi mimicos gestus clamoremque dum SACAINVS<sup>13</sup> socius Bonzii ioculariter exprimit, missis iocis reapse & seriò obsidetur, & nec quidquam<sup>14</sup> valente Bonzio tandem à Ludouico rursus liberatur. *Ex litteris Iapon. anni circiter 1586.*

### Scaena III

Ludovicus ein Erstgeborener<sup>15</sup> Christ in Japon / zaigt seinem Brueder Iosepho ein Buechlein / darinnen geschriben / wie der gewalt der höllischen Geister so gar nichts zuschätzen sey / seytemal einer auss jnen / so gar von einem einfältigen Schmid mit der Nasen seye gefangen worden / derhalben er billich der Japoniser Götter Sacam, Amydam, und ander dergleichen Wunderthier / welche nichts als Teuffel sein / verachten solle.

### Scena IV.

Bonzius ein Japonesischer Götzenpfaff / höret den Ludovicum also reden / wüttet und tobet uber jhn / will jhne seiner blindheit uberweisen / gibt für / dass die Christen alle bösswicht wären / Er habe erst allbereit einen gesehen / in welchem der Teuffel als in sein rechte Herberg gefahren / Ludovicus Wils nit glauben / Saccainus ein Gesell dess Bonzii zaigt gespöttweiss / wie der besessne Christ sich so visierlich und seltzam gestellt habe / aber dises Gespött wirdt in ein Ernst verkehrt / dann Saccainus lasst das schertzen ligen / wirdt zu derselben stundt recht vom Teuffel besessen / und zu letst von Ludouico widerumb erlöst. *Aus Japonesischen Sendsch.An.1586.*

Hactenus periochas audiuius. Nunc ipsi actores in scaenam ueniant!

<sup>4</sup> Orthographiam Baldeanam hic quidem diligenter seruauit, in supplementis meis non ita.

<sup>5</sup> In antecedente scaena II diabolus siue daemon aut Alaster muliebrem figuram indutus (et *Hecate* uocatus), id quod postea Ludouicus narraturus est, a Dunstano fabro tam crudeliter tractatur, ut eius nasus forcipe dilaceretur. Quem nunc irrident alieno malo gaudentes daemones collegae (ut antea Balde scripsit) aut (nunc indicat) sorores eius i.e. furiae. Deest hoc initium scaenae III in periocha Germanica.

<sup>6</sup> *Neophytus* iam in Vulgata est nuper ad fidem Christianam conuersus.

<sup>7</sup> *Amida* (siue *Amyda*) et *Xaca* (siue *Saca*) iam a Francisco Xauerio S.J. aliisque ei daemones dicebantur, qui a Iaponibus paganis potissimum colerentur; cf., si uis, *Gesammelte Briefe des Heiligen Franciscus Xaverius*, Augustae Vindelicum 1794, pars III, pp. 31-33 (epist. 91, ubi maxime de religione Iaponum et Bonzii agit). Quos deos Sanctus ille aut inuenta diaboli aut diabolos ipsos existimat. (Gratias ago Catharinae Kagerer daemorum peritae.)

<sup>8</sup> Vt uidetur, Baldeus non diligentissime inter diabolum Iudaicum siue Christianum et daemones paganos distinguit; sed id iam nonnulli scriptores uetustissimi Christiani id fecerunt.

<sup>9</sup> Supplendum fortasse *Flammeo* <*mucinnio*>, nam *flammeum* per se uelamen nuptiale feminarum est.

<sup>10</sup> Bonzii, si rectissime nuncupentur, sacerdotes sunt buddhistici, qui deos nullos colunt. Hic Baldeus ut alii ea uoce utitur pro sacerdote patriae religionis Iaponicae; cf. de his Bonziiis q.d. scaenicis Ruprecht Wimmer, in: *Hsia / Wimmer* (ut adn. 2) 28-30.

<sup>11</sup> Neologismus iocose fictus ad exemplum Horatii (ars 97) *sesquipedalia uerba*.

<sup>12</sup> Germanismus: *primùm* („erst“) = *modo* siue *nuper*.

<sup>13</sup> Nomen uidelicet deriuatum a deo Saca: Iapones Christiani Sanctorum nominibus gloriuntur, ut Ludouici, Iosephi.

<sup>14</sup> *Nec quidquam* aut *nequiquam* a Baldeo saepe usurpatur pro *nequaquam*.

<sup>15</sup> Idem uidetur esse ac *neophytus*, non, ut solet, *primogenitus*.

Scaena III.

**Daemones siue Furiae.** Hahahae. Hahahae.

**Daem.I.** Spectate et stupete bellissimum nasum sororis nostrae!

**Daem.II.** Nonne tumidule tumet?

**Daem.III.** Nonne rubicundule rubet?

**Daem.IV.** Nonne sanguinis stillicidio stillatim stillulat!

**Daemones siue Furiolae.** Hahahae. Hahahae.

**Daem.I.** Sic male fiat omnibus feminis falsis!

**Daem.II.** Sic pereant histriones praue agentes!

**Daem.III.** Sic intereant quicumque gloriam Orci inquinant!

**Daem.IV.** Quin et ipsae ipsam extentis unguibus appetamus?

**Daemones siue Furiolae.** Hahahae. Hahahae.

(*Accedit Ludouicus Iaponice uestitus, sed cruce et libello Latino armatus.*)

**Ludouicus.** Quos hic cachinnos audio quasi ex ipsa gehenna eructatos? Quas species conspicio horridas daemonum aut daemonissarum<sup>16</sup>. Abite! Male perite! Facessite in malam crucem!

**Daemones siue Furiolae.** Hahahae. Hahahae.

**Ludouicus.** Quas ego!

**Daem.II.** Vergilium laudat, Orci nostri peritissimum.<sup>17</sup> Bene est.

**Daemones siue Furiolae.** Hahahae. Hahahae.

**Ludouicus.** Grauiora remedia adhibenda sunt ad exorcismum, crux ipsa ostendenda: Nomine Domini nostri ...

**Daemones siue Furiolae.** Vae.

**Ludouicus.** ... Iesu Christi ...

**Daemones siue Furiolae.** Vae.Vae. Desine!

**Ludouicus.** ... qui omnes homines liberauit a malo, a morte, ab Orco ...

**Daemones siue Furiolae.** Vae. Vae. Finem facito! Iam fugimus ...

**Ludouicus.** ... apagite!<sup>18</sup> - Sed ecce iam abierunt. Soli Deo sit gloria! O quam felix est Iaponia, quae falsorum daemonum cultum abicere, religionem ueram Iesu discere coepit!

(*Accedit Iosephus frater.*)

**Iosephus.** Quid clamitas, frater, tanto clamore, ut paene aures dirumpantur? Tantine strepitus plena est noua nostra religio? Nam Amydam Sacamque nostros olim deos debito silentio et mystica taciturnitate uenerati sumus.

**Ludouicus.** Bona uerba, Iosephe! Noli commemorare ista idola, quorum ipsa mihi nomina iam odiosa sunt. Qui non di sunt immortales, ut credideramus, sed mala daemonia uero Deo aduersaria.

**Iosephus.** Vnde igitur iste clamor?

**Ludouicus.** Quia quattuor daemones et eas muliebres abegi.

**Iosephus.** Idne credam? Quomodo fecisti?

**Ludouicus.** Huius ui sola crucis.

**Iosephus.** Vix mihi id persuades unam paruam crucem quattuor daemones fugauisse. Parum conuenit.

<sup>16</sup> Verbum nouatum secundum *abbatissam, diaconissam, prophetissam* et al.

<sup>17</sup> Spectant ad illud *Quos ego* in libro I Aeneidis (1,135) et ad librum sextum, qui catabasin ad inferos habet.

<sup>18</sup> Hoc Graeco uerbo nunc quoque in exorcismis utuntur.

**Ludouicus.** O crede mihi, mi Iosephe, sunt etiam maiora quae sancta crux Domini nostri fidesque uera perficere possint. Vide uel hunc libellum, quam mihi pater religiosus Europaeus dono dedit. Qui plurima habet talia miracula diuinae clementiae et potentiae. Velut uerissima illa historia de fabro quodam Anglo, cui diabolus ipse illudebat, mulieris formosae speciem indutus, ut castum illum artificem ad Venerem incestam pelliceret, limis ocellis nictando, papillas nudando, latus meretricio more mouendo ... At ille fortunae suae faberrimus<sup>19</sup> castitatem integre seruauit ac Dei numine inuocato ipsum diabolum forcipe candente nasoprehendit misereque uexauit. Quantum tum putas clamorem atque adeo eiulatum extitisse!

**Iosephus.** Vellem interfuissem, ut spectarem has formosas diaboli uenustates et illecebras.

**Ludouicus.** O mi frater, quam tu adhuc es deditus mundi uoluptatibus et saeculo! Cauenda quam maxime erat illa insidiosa mulier nec mulier, non admiranda.

**Iosephus.** Scio ipse, sed me nescio quomodo tua fabella eo rapuit.

**Ludouicus.** Desine. Nam, puto, aliquis ex inimicis religioni nostrae sacrificulis aduenit.

Scena IV.

**Bonzius** (*canit famulante Sacaino tibicine*).

Amyda, Saca Numina  
diuina sacra lumina,  
qui tegitis Iaponiam  
ubique pie, quoniam  
nos colimus fumifico  
uos ture et magnifico.  
O pereat Christianitas,  
et uigeat paganitas!

**Ludouicus** (*illudens canit*):

O pereat paganitas  
et omnis mundi uanitas,  
ut Domini symphonia  
cantetur in Iaponia ...

**Bonzius.** O uos male Iapones insulsos et impios, qui a uera patrum religione descuiistis, Amydam et Sacam ludibrio habetis. Quam illi uos male mulcabant uiuos et mortuos! Frustratum inuocabitis uestra Europaea numina, quae hic in sanctissima patria nostra nil ualent nec ualebunt.

**Iosephus.** Audi, Ludouice. Dicit aliquid. Quid si nos deos patrios una cum Christo adoremus? Media uia tutissima est, dicunt etiam Iesuitae, cum Latine nos docent.

**Ludouicus.** O quam tu, neophyte, adultus es lingua, infans mente! Sic te unus Bonzius a recta uia declinare potest! Unus est Deus noster omnipotens nec alios praeter se deos coli patitur. Est autem neque Europaeus, ut tu, Bonzi, opinaris, nec Asiaticus, sed oecumenicus et catholicus - si haec uerba intellegis nec tibi nimis Graeca uidentur.

**Iosephus.** Ego certe nec Iaponica ea nec ualde Latina existimo.

**Bonzius.** Sint licet Serica aut Bohemica aut undecumque illata, non equidem curo, quoniam lucidissimis documentis ac testimoniis repperi minime omnipotentem deum uestrum minusque eum ualere quam haec optima numina nostra, quae spreuistis. Vobisne ea dicam?

**Iosephus.** Peruelim audire nouas fabellas.

**Ludouicus.** O Iosephe, nil nisi mendacia auscultabis. At si uis, Bonzi, aperi aliquando nobis ista tua praeclara documenta et testimonia, quae ego facile falsa et uana esse conuincam.

**Bonzius.** Conuince, si poteris. Nam hanc rem quam uobis narraturus sum, non unus ego uidi, sed adest testis certissimus facti hic famulus noster Sacainus, qui una mecum adfuit, oculis

<sup>19</sup> *Faber suae quisque fortunae* notissimum est prouerbum; faberrimum Musa Baldeana magis iocose quam grammaticae finxit. Nolite, scholares, hoc aut talia imitari!

spectauit, non auribus excepit. Nonne nuper uidisti, Sacaine, Christianum illum furentem ui daemonis siue diaboli?

**Sacainus.** Immo praesens uidi his ipsis oculis.

**Bonzius.** Meministi etiam nomen illius Christiani?

**Sacainus.** Petrus, puto, se uocari uolebat, postquam nomen Iaponicum abiecit, seque dicebat appellatum ab petra quadam ecclesiae.<sup>20</sup>

**Bonzius.** Omitte ista quae nemo intellegit neque ad rem pertinent. Dic quid actum sit.

**Sacainus.** Ergo ille Petrus more suo digitis inter se deuinctis nouum illum deum (qui male pereat) adorabat, patrem in coelis uocabat, sanctissimum eius nomen clamabat et cetera quae Christiani decantare solent – cum subito a daemone quodam lacessitus oculos gyrare coepit, tum ex imis pulmonibus anhelare osque detorquere, ut spuma destillaret ...

**Bonzius.** Optime narras, Sacaine. Nec tu id uerbis solum indica, sed etiam ipso gestu ac corpore demonstra quomodo factum sit. Bene agis. Sic, sic uultus illius perturbatus erat.

**Ludouicus.** Talia auerte a nobis, Domine, neque inducas nos in temptationem!

**Iosephus.** O pessime factum! Quid si id omnibus Christianis eueniat?

**Bonzius.** Iure tu quidem times, nam horridum erat. Sed fuit modo quasi praeludium furoris. Nam cum daemon ille totum corpus Petri istius inuasisset mentemque occupatam teneret – ostende id, Sacaine, ostende -, quae ille tum monstra gesticulationis edidit, quam omnia membra distorsit, modo brachia, modo crura uano impetu in auras iactauit, cum non modo clamores, sed ululatus atrocissimos effunderet ...

**Sacainus.** A a o o!

**Iosephus.** Desine, a desine!

**Bonzius.** Non possum, quoniam ne ille quidem turpissime uultum distortere desiit, immo etiam deo uestro una cum aliqua trinitate maledicere coepit, ut ne uilissimus quidem homo foedioribus uocibus utatur ...

**Sacainus.** „Maria meretrix mergatur in maria ... Petrus perditus pereat petris ... In merdam mutantur Pater cum Filio et Spirituosis omnibus per pocula poculorum ...“

**Bonzius.** Tandem aliquando licet finem facias, Sacaine. Iam enim satis isti Christiani intellexerunt, quam non ualeret suus nouus deus contra uim daemonum. Finem facias, dixi. Fabula acta est, Sacaine. Bene egisti, laudamus.

**Sacainus.** A a o o!

**Bonzius.** Quid est? Cur adhuc uultum corpusque huc illuc torques, non uerba, sed absonos sonos eiacularis? Finem fac comoediae!

**Ludouicus.** O Bonzi! Non haec est comoedia nec fabula, sed agitur ueritas ipsa.

**Bonzius.** Quid ais?

**Iosephus.** Neque ipse intellego.

**Sacainus.** A a o o!

**Ludouicus.** Daemon ille, quem Sacainus imitando expressit, hunc histrionem oppressit uere et uexauit, non ille quidem sua ui ac potestate, sed ipso deo trinitario ac uero sinente ac iubente, qui suum nomen sanctissimum ludibrio haberi sensit neque id diutius passus est.

**Sacainus.** A a o o!

**Bonzius.** Negare non possum. Obsessus est Sacainus ipse a daemone quodam. Quid agam?

**Ludouicus.** Voca tuos deos, num tibi auxilientur.

**Bontius.** O Amydam, o Sacam! Si semper uestra sacra pie religiose colui, auitam religionem Iaponum strenue defendi, nouatoribus impiis fortiter restiti, adeste mihi rite uocanti et huncce Sacainum cultorem uestrum liberate a ui daemonis mali!“

**Sacainus.** A a o o!

**Ludouicus.** Vbi nunc sunt numina tua? Viden? Nihil proficis orando et cantando.

**Bonzius.** Num tibi concedet iste daemon?

---

<sup>20</sup> Cf. Matth. 16,18.

**Ludouicus.** Non mihi, sed Deo qui mundum fabricatus eiusque Filio omnium daemonum uictori: Nomine Christi, apage, Satanas.

**Sacainus.** Deo gratias! Libere spiro, solutus a malo.

**Bonzius.** Ah, caue hos fraudatores! Praestigiae sunt!

**Sacainus.** At ego toto pectore me trado uero Deo rerum opifici.

*(Ludouicus benedicit Sacaino. Bonzius iratus abit. Iosephus miratur.)*

Sat histriones egerunt. Si placuerunt, plaudite!